

## † R. P. Alphonsus Hendrickx.

(*Prov. Belg.*).

Festo Omnium Sanctorum a. 1926, dum in missa sollemni Agnus Dei cantatur, in domo nostra Trudonopolitana in osculo Domini quievit P. Alphonsus Hendrickx, cum quinquaginta sex annos a s. votorum professione, quinquaginta duos a suscepto sacerdotio peregisset, homo religiosissimus, sacerdos Dei dignissimus, missionarius animarum salutis studiosissimus, apostolus Dei gloriae ardentissimus, fidei praeco intrepidus, sui abnegationis martyr, sodalis praecegens, semper sibi constans, qui numquam ab omni boni inimico se vinci passus est.



Alphonsus Hendrickx in Turnhout Campinae Antverpiensis natus est die 15 mensis februarii anni 1850 e familia piissima, quae fidei piorumque operum sustinendorum semper studiosissima fuit. Pater Iu-

lius homo fide fortis fuit, mater Maria Anna mulier religionis amore flagrans, cum ultimo morbo affligeretur, fortunatam se praedicavit, quod filium Alphonsum haberet, qui in Canada in missionum labores incumberet. P. Hendrickx sex sorores, fratres quattuor habuit. E sex sororibus duae regulam S. Clarae professae sunt, fratres duo in saeculo manserunt, tertius Augustinus patrum Augustinum imitatus Congregationi SS. Redemptoris nomen dedit, sed mature mortuus est, quartus Ioannes Societatem Iesu ingressus iuventuti instituendae operam dedit. Alphonsus noster, qui natu minimus erat, in studia humanitatis in civitate sua patria incubuit, et iam tum adulescens piissimus, cum frequenter ad sacram mensam accederet, sacerdotii et status religiosi capessendi desiderio tenebatur, at inter Societatem Iesu, cuius studiosissimam fidei propagandae causa susceptam operam maximi faciebat, et Congregationem SS. Redemptoris, cuius pietate delectabatur humilitatisque spiritum admirabatur, anceps haesit. Seminarium itaque minus Mechliniense ingressus philosophiae operam dedit, quo in studio celeberrimum postea decanum S. Gudulae Bruxelensem Van Aertselaar et Eñum Cardinalem Mercier collegas habuit. Postquam autem examen optime subiit, anno 1870 feriarum tempore, cum patris salutandi causa in domum Congregationis nostrae venisset, dubiis solutis petiit, ut ad nostrum institutum admitteretur. Mense septembri Trudonopoli ingressus est et octobri mense vestem religiosam novicius induit.

Magistro usus est P. Paulo Reyners, qui non tam voce quam exemplo suo novicios rerum humanarum ob Iesu Christi amorem contemptionem ac despicientiam docuit multasque occasiones eis praebebat ad doctrinas

suas mandataque exsequenda. Frater Hendrickx autem doctrinas et exempla magistri pectore hausit aperto, voluntate ad exsequendum prompta ac firmissima, quod tota dein vita eius comprobatum est. Die 8 mensis octobris a. 1871 professione religiosa Deo se devovit. Wittemii Hollandiae in studia incumbens illa praesertim scientia theologica S. Alphonsi imbutus est, quae missionario in exercendo sacro ministerio tam utilis est. Cum maximo denique pietatis, fidei, amoris incremento die 8 mensis ianuarii a. 1874 ordinatus est Dei sacerdos.

Studiis peractis Trudonopolim missus est, mox autem Rollarii alterum noviciatum egit, quo finito domui Antverpiensi addictus est, ubi, cum S. Familiae iuvenum praesesset, iam tum animi liberalitate, consiliorum opportunitate, laborum constantia iuvenum animos alliciebat Deoque proptio plurima eis beneficia praestitit, quae numquam obliviscerentur.

Anno 1879 P. Hendrickx in Canadam missus est, ubi paulo ante provincia Belgica Pulchriprati ad S. Annam primam stationem instituerat. Inde sex annis post ad aliam S. Annae stationem Marianopolitanam (*Mont-réal*) migravit, ubi etiam domus ministrum egit. Labores Canadenses in missionibus difficillimi sunt. Sex enim anni menses ibi hiems durat, aestate vero calores sunt maximi. Hieme igitur P. Hendrickx per vicos oppidaque in planitie immensa dispersa properans verbi Dei praeco assiduus neque in suggestu neque in confessionali fatigari posse visus est. In silvis etiam vastissimis ac nivibus obrutis lignarios exquirens ad s. sacramenta suscipienda invitabat ac multo labore praeparabat. Qua in re quas molestias inopiasque perpessus sit, quae frigora animarum Christi Sanguine redemptarum causa pertulerit, in libro vitae scriptum Deus ipse novit. Aestatis vero tempore domi peregrinantium turmis operam suam perpetuam praestitit, quae ibi plurimis eorum affluentibus catervis sine ulla intermissione continuatur. Labor sane improbus, quo vires P. Hendrickx exhaustas esse nemo miretur.

Post quindecim annos in Canada expletos in Antillas insulas profectus est, ut ibi inter nigritas patris, tutoris ac defensoris officio fungeretur. Quattuor annos in insulis illis moratus est.

Anno 1898 P. Hendrickx in patriam revertit laboribus fessus ac paene confectus. Rollarii primum, deinde Bruxellis ad S. M. Magdalenam in s. ministerio laboravit, ab anno autem 1902 Trudonopoli vitam egit. Cum vires eius confectae essent, in missiones iam parum exhibat, sed in civitate ad instituta religiosa alloquia habebat ac praesertim in s. tribunali paenitentium confessiones excipiebat, domi in sodalium animis salvandarum animarum studium accendere gaudebat, ita ut et sodales et homines exteri laudibus adhuc eum efferant.

Omni tempore et quocumque loco religiosus erat in regula observanda accuratissimus. In recreatione homo laetus ac multi iucundique sermonis,

simul ac campana sonuit, conticescens in cubiculum suum se conferebat, ut solitudini vacaret. Rebus omnibus se abdicaverat, rem familiarem omnem sive Congregationi, sive quibusdam operibus bonis concesserat et ne parvam quidem imaginem post se reliquit, quam quis memoriae eius servandae causa retineret. Ne propinquos quidem suos nisi oboedientia obstrictus invisit. Deum solum dilexit eumque amore fortissimo prosecutus est. Oboedientia simplici infantium instar a superioribus doceri regique voluit, nec suam umquam opinionem eis insinuabat. Ad altare cotidie angelica magis quam humana pietate sacra facere visus est, cum maxima gravitate vel minimas caeremonias perficeret, verba accuratissime pronuntiaret motusque omnes temperaret ac maxima humilitate animoque religionis pleno coram Dei numine consisteret. Ad omnia sacra, quae in ecclesia oratoriove domus fiebant, cotidie affuit, ad pedes SS. Sacramenti in tabernaculo reclusi horas integras commorans visus est. Amore fraterno actus unicuique sodali nemine excepto operam suam praestare studuit. Saepe, cum Deum offendi videret, ex imo corde, quasi angores Olivetanos sentiret, exclamantem eum audierunt: « Mi Deus, non norunt te homines, non amant, non reverentur ».

Iesu Christi militem se esse existimans suum esse putavit iniuriam Deo ab animabus peccato pollutis, a spiritibus superbis cordibusque obstinatis illatam vindicare. Inde factum est, ut in suggestu non solum hominum rationem non haberet, neque quemquam permulceret, sed ne parceret quidem cuiquam, quando sibi loquendum et insistendum esse putavit. Id solum metuens, ne ipse, dum hominibus placere vult, Iesu Christo canum mutorum non latrantium instar displiceret, scandala severissime insectabatur, ita ut saepius modum non teneret. Non raro ideo rem verbis exasperare dicebatur. At etiam hoc ex uno Dei honoris animarumque salutis studio ortum esse ostendit, cum in confessionale descendens paenitentes caritate vere paterna ac mansuetudine et patientia excipiebat, quae exhauriri non posse videbantur.

Ne quid deesset homini Dei, quo Iesu Christo ad crucem affixo similis esset, morbis ac miseriis omne genus multis ac diutinis excruciatu est, ita ut paulatim amissa nominum, rerum, factorum, temporis memoria paene lente perire se videret. At, cum nihil iam laborare posset, maxima patientia omnia pertulit neque conquerens umquam, neque a regula accurate servanda se eximens, semper id se velle profitens, quod vellet Deus. Ita hominis vere sancti famam et aestimationem iure meritoque adeptus est.

Sic tandem P. Alphonsus Hendrickx Dei servus fidelis de aeternis praemiis securus, sacramentorum adiumentis confortatus, festo Omnium Sanctorum a. 1926 ad Dominum migravit. R. i. p.!